



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Tertia Seraphica Vinea, Sive Tertius Ordo De Poenitentia  
à S.P.N. Francisco institutus**

**Pauck, Engelbert**

**Coloniae, 1720**

Num. 158. Epilogus & Cautela, ut, dum nostros tres Ordines exaltamus,  
alios non deprimamus; sed unanimiter laudemus Deum mirabilem in  
Sanctis suis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64103](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64103)

blicata est anno 1265. quando S. Bonaventura electus est in Generalem Ministrum totius Seraphici Ordinis, in qua quidem epistola contenta leguntur sequentia:

*Cavendum est: ne quis nostrum sic Sanctos suos, sic Statum suum imprudenter extollat, ut in aliorum depressionem laus talis taliter fieri videatur.* Hæc, inquam, cavere, & ab omnibus caveri, summè avemus. Sub qua cautela scribo: tantum invaluit Ordinis Seraphici sanctitas in æstimatione S. Dominici, ut S. P. Franciscum summo semper affectu sit prosecutus, & sequaces Alumnos ejus maximè semper dilexerit. Hinc in affectus sui contestationem, Comitibus Generalibus, & Provincialibus Fratrum Minorum sapius interfuit; & signatim Anno 1219. Assisicum. 7. Sociis perfectionem ejusdem Ordinis summè demiratus est.

Deinde refert B. Leo, eodem tempore Socius Seraphici Patris, ocularis ac præfens omnium testis; quod bini iidem Patriarchæ quam plurima ad animarum salutem, & Christianæ Fidei nitorem, atque augmentum pertinentia, inter se persæpe contulerint, & de institutis suis Ordinibus confidentiùs egerint, tandemque S. Dominicus adjecerit: charissime Frater; pro magnâ meâ tecum necessitudine, præcordiali erga Filios, Confratresque tuos dilectione, & pacis, fraternitatisque, tuos inter & meos stabilimento, averem; ambos nos, nostrósque sub unâ ea-

démque Religione supremo Deo militare; ut [quos amoris fraterni, & affectus paritas in Deo conjunxit] Religionis, & vitæ disparitas non dissolvat, separétque.

Cui pro innatâ sibi humilitate respondit Seraphicus Patriarcha FRANCISCUS: Amanissime Frater; totum hoc divina voluntas fecit, & ordinavit, diversas nobis inspirando Religiones; ut per Ordinis utriusque differentiam, & Præceptorum diversitatem (scilicet per rigorem, & lenitatem) humanæ infirmitati melius consuleretur; ita ut (qui ob unius rigorem, ad Apostolicæ Perfectionis imitationem pertingere reformidat (per lenitatem alterius ab eadem perfectionis semitâ non retrahatur.

Demum Seraphicus Pater amicâ suâ humilitate, sanctâque importunitate ita B. Dominicum vicit, & convicit; ut nodoso fune suo eundem etiam præcinxerit. Quod amoris Franciscani cingulum (ut indissolubilis Fraternitatis Symbolum) sanctus Vir sub vestibus exterioribus semper gestavit. *Vid. Menol. Ord. de Serie Sanctorum, & Beatorum, in Hist. prolog. fol. mihi 206.* Hinc nemo sibi præjudicio ducat, aut sinistro notet oculo; si ingens Sanctorum & Beatorum numerus ex triplici Ordine S. FRANCISCI allegatus sit; in quo sic laudetur Deus, Sanctus Sanctorum: ut nulli alteri sua gloria particularis, splendor, aut integritas minuat, aut auferatur.

## FINIS

Primæ Partis.

VIA